

# PAULUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI

**AD PERPETUAM REI MEMORIAM.** Cum tempora maturuere, consuevit quidem haec Apostolica Sedes, Omnim Ecclesiarum mater sollicita, quasi stirpe ex arbore detracta, novas circumscriptiones Ecclesiasticas condere. Nam per id non solum nimis latae dioeceses intra aequiores limites continentur, sed multiplicatis praeterea Episcopis etiam consilia et vires longe accrescunt, quibus Dei verbum currat et clarificetur — 2 Thess. 3,1. Quare, cum Venerabilis frater Josephus T. Sanchez, Episcopus Lucenensis, audita Conferentia episcopali, ab hac Apostolica Sede enixe postulaverit ut, divisa sua dioecesi, nova constitueretur, Nos, Venerabilibus fratribus Nostris sententiam rogatis qui Sacrae Congregationi pro Episcopis praesunt, de bono fidellum solliciti, haec statuimus atque iubemus. A dioecesi Lucensi integrum territorium separamus provinciae civilis, quam populus Marinduque cognominat, eoque novam dioecesim condimus, **BOACENSEM** appellandam; cuius sedes episcopal is in urbe Boac ponetur, cathedra vero in sacra aede B.M.V. omni labore expertis, quae est in eadem urbe, quaeque cathedralis habebitur, cum debit is iuribus. Eam praeterea suffraganeam constitutimus metropolitanae Sedi Lipensi, ad norman iuris. Jubemus etiam ut Canonicorum Collegium condatur, iuxta leges per alias Litteras edendas. Interea vero Consultores dioecesani elegantur, qui Episcopum iuvent consilio et opera. Ad mensam episcopalem quod pertinet coalescit haec Curiae emolumentis, fidellum collationibus sponte factis, parte aequa bonorum si quae sint quae adhuc Sedi Lucensi propria erant, ad canonem 1500 J.C. De seminario statuimus, ut serventur leges iuris communis, ratione habita tum Decreti Optatam totius — Councilii Vaticani II, tum regularum Sacrae Congregationis pro Institutione Catholica. Cum autem iuvenes eo aetatis pervenerint ut philosophiae ac sacrae theologiae incumbere debeant, qui meliores fuerint Romam mittantur, in Pontificium Collegium Philippinum. Ad cetera quod pertinet: regimen dioecesis, administrationem, electionem Vicarii Capitularis, suo tempore, haec omnia Iure Canonico temperentur. Nimisrum simul ac nova Sedes condita fuerit, Sacerdotes atque clerici qui in eius territorio beneficium aut officium habeant, eidem adscribantur tamquam proprius cleru s: ceteri vero clerici atque Seminarii

tirones, ei in qua legitime degant. Denique acta atque documenta ad novam Ecclesiam pertinentia, ad eius Curiam episcopalemmittantur, religiose servanda. Ceterum quae mandavimus, Venerabilis frater Bruno Torpigliani ad exitum deducat, vel quem ipse legaverit factis nempe facultatibus necessarilis; re vero acta, documenta exaranda curet, quae sinceris exemplis ad Sacram Congregationem pro Episcopis elto mittat. Contrariis nihil obstantibus Datum Romae, apud S. Petrum, die altero mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo septuagesimo septimo, Pontificatus Nostri quarto decimo.

**+ JOANNES CARD. VILLOT**  
Secretarius Status

**+ S. CARD. BAGGIO**  
S. C. Pro. Episcopus Praef.

**JOSEPHUS DEL TON**  
Proton. Apost.

**MARCELLUS ROSSETTI**  
Proton. Apost.